



Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

122. Antequam cum hoste a catholico congregiantur Catholici, curat arma & signa militaria Cruce exornari, non ad pompam; sed ad Crucifixi memoriam, & in eum concipiendam fiduciam, Jacobus Gordonus, ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

in CRVCIS figuram manibus, oculisque sublati in cælum, jugulum promptus porrexit, quo inciso CRVCIS Amator exspiravit.

Historia Quinque Martyr. Societ.

II.

AMATOR CRVCIFIXI

Antequam cum hoste à Catholico congregiantur Catholici, curat arma & Signa militaria Cruce exornari, non ad pompam; sed ad Crucifixi memoriam, & in eum concipiendam fiduciam.

122.
JACOBVS
GORDONVS
SCOTUS.

ANNO M. D. LXXXV. cum in Scotia res catholica nutaret, subsidio venit JACOBVS GORDONVS è Societate IESV SCOTUS illustris. Ejus eruditione victus fuit prostratusq; Georgius Hayus hæreticorum antesignanus. Palam disceptatum est, partium assensu: & fœmina nobilis, Gordorum dimicatione sese accingentem, modestiâ Gallinam, dimicantem magnanimitate Gallum appellavit.

Victi doctrinâ & argumentis arma rapuere ad remorandos Victoris progressus. Nec ea successere. Duodecies bellatorum millia adoriuntur Catholi-

cos incautos. Eos Argilensis Comes ducebat, Hunthleum Erroliumque Comites ad Catholicam religionem conversos oppressurus. His enim minor decuplo erat numerus; Equites nimirum mille, pedites trecenti; sed caussa melior, quæ Religionis subsidiis adjuta, per CRUCEM triumphavit.

Antequam congregarentur, animos plerorumque noctu expiaverant, Gordonus, Gulielmus Murdus, & Alexander Macoreus, Socii: expiatis Eucharistico roboraverant epulo: denique prodeuntium arma atque vexilla CRVCIBVS munierant: confligentes jam continuatis ad DEVM precibus adjuvabant. Ita fugati sunt hostes, cæsis suorum quingentis: Catholicorum paucis, & quod obseruandum, CRUCE carentibus.

Achindunius Baro Catholicus, Religioni, etsi non contemptæ pœnas dedit: nam primâ in acie, ac velitatione periiit. Nimirum, assumendæ CRVCIS tempus haud fuerat, ordines disponenti. Gordonus, auctor CRVCIFIXI per CRUCEM honorati, victoriæ quoque per CRUCEM partæ toto regno dicebatur.

*Ex Lito. & Histor. Scot. Iacobus Damianus
Synopsis Societ. primi Saeculi lib. 5. cap. 14.*